AUTHOR:

REGEL, G.

TITLE:

DUOBUS SOPHOCLIS OEDIP. COL. LOCIS AD...

PLACE:

EMDEN

DATE:

1857

Master Negative #

92-80480-17

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88SE
Z8
v.5

Regel, G

...De duobus Sophoclis Oedip. Col. locis ad virum clarissimum v. Chr. Fr. Rostium epistola. Emden, Woortman, 1857.

12 p. 28 x 22 cm.

"Jahresbericht über das Gymnasium zu Emden..."

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13½ x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 3/11/92 INITIALS TM

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0

No. 11

Jahresbericht

über das

Gymnasium zu Emden,

womit

zu den am 6. und 7. April 1857 stattfindenden

öffentlichen Prüfungen und Schulfeierlichkeiten

ergebenst einladet

Dr. Wilhelm Schweckendieck,
Director des Gymnasiums.

Præmissa est: G. Regelii de duobus Sophoclis Oedip. Col. locis ad Virum Clarissimum V. Chr. Fr. Rostium epistola.

Emden.
Gedruckt bei H. Woortman sen., Stadtbuchdrucker.
1857.

V. Chr. Fr. Rostio

s. p. d.

G. Regel.

Quamquam longum jam praeteriit temporis spatium, ex quo relicta ego patria urbe apud exteros sedem ac domicilium collocavi, gratissimo tamen animo retinui et urbis et hominum memoriam, quibus plurima et maxima me debere beneficia intelligo. Ac cum neque longinquitas temporis neque locorum intervalla in oblivionem patriae carissimae et hominum optime de me meritorum adducere me potuerint, nuper renovata est mihi in patria urbe aliquamdiu commoranti suavissima illa beneficiorum acceptorum recordatio, quibus me plurimis nominibus obstrictum esse libentissimo animo confiteor. Tua autem inprimis quanta sint in me merita, avuncule carissime, eo magis subigit animus praedicare atque in lucem proferre, quo recentior est singularis ac vere paterni amoris memoria, quo me hac ipsa superioris anni aestate amplexus es. Ac licet multi sint, qui quam egregie de se merueris intelligant et grato animo reminiscantur, vix quisquam tamen inter homines, qui nunc vivunt, reperiatur, qui aut plura tibi debeat aut majorem pro beneficiis in se collatis gratiam tibi habeat. Tu enim jam ab eo tempore, quo puer duodecim annorum patre optimo orbatus sum, tutor orbitati meae constitutus curam mei gessisti fidelissimam, tu patris loco mihi fuisti, quoad duce et monitore opus erat, tu eodem me, quo tuos ipsius liberos, amore prosecutus non solum ad virtutis atque bonarum artium studium graviter hortatus es, sed etiam auxilio atque consilio benigne semper mihi adfuisti, ut neque in severitate voluntas neque in caritate justa severitas unquam desideraretur. Quid quod patris officio etiam ita functus es, ut privatim literis me institueres atque in tot tantisque tuis occupationibus studia mea hac tua domestica institutione mirum quantum adjuvares. Ita non minus tua quam avi carissimi, qui tunc gymnasii illustris Gothani rector erat, cura ac benevolentia factum est, ut via a patre monstrata strenue pergerem atque ad eam doctrinae laudem aspirare auderem, qua tu non modo inter cives, sed etiam in exteris terris magnam jam tum nominis famam consecutus eras. Qua in re quamquam videbam non idem a natura datum esse omnibus neque sola diligentia atque industria me id assecuturum, quod ingenio tuo atque acumini potissimum esset tribuendum, nihilo secius tamen me vestigia

tua legentem non dedecori quondam tuae fore disciplinae neque ab antiquarum literarum studiis te duce inchoatis sevocatum iri sperabam. Sed non sine pudore quodam hanc spem irritam fuisse fateor, cum jam diu vetera illa studia, quibus deditus eram, jacuerint neque quidquam fere his proximis annis nisi quod pertineat ad officii munera exsequenda in literis a me elaboratum sit. Cujus inertiae eo magis me piget poenitetque, quo admirabilior mihi nuper visa est tua insignis industria, quae tanta est, ut tu septuaginta prope annorum senex juvenili et corporis et animi robore ac vigore non solum omnibus, quae gymnasii rectoris munus tibi injungit, officiis satisfacias, sed alia quoque multa eaque plurimi laboris, quae ad vitae usum et communem civium salutem spectant, negotia geras, non intermissa simul ea opera, quae in libros scribendos denuoque edendos impendenda est. Quis credat, comparata hac tua assidua opera et gnavitate cum mea in literarum tractatione desidia, me aliquando te ducem et magistrum habuisse et tua studia aemulatum esse? Ac profecto me ipse indignum judicarem et tua institutione et patris et avi et omnium clarissimorum praeceptorum, qui in gymnasio Gothano et in academia Gottingensi ad literarum amorem me accenderunt et inflammarunt, nisi necessitatis habere mihi viderer excusationem, quam etiam apud te valituram confido.

Talis enim fuit muneris vitaeque meae ratio, ut omnia studiis meis fuerint adversissima, cum gymnasii Gothani doctoribus, quorum exemplum ad imitandum mihi proposueram, nihil omnino deesse videretur, quod in ipsis muneris negotiis mentes alere et ad literarum studia impellere posset. Meminisse juvat illius temporis, quo non summa laus putabatur omnibus in disciplinis scire aliquid et quam plurima literarum genera quam plurimis diei horis gymnasii juventutem docere et omnem praeterea operam ponere in scriptionibus discipulorum perlegendis et emendandis aut rebus quae in schola tractarentur meditandis, sed unumquemque potius praeceptorem unam potissimum profiteri artem, cujus peritissimus esset cujusque assiduum studium nullo tempore intermitteretur. Erat tum sic institutum, ut singuli doctores singulas disciplinas, quarum ipsi scientia ceteris praestabant ad quasque totos se contulerant, praecipuo quodam jure in certis gymnasii classibus tractarent et animi potius caussa quam necessitate aliqua coacti in una et altera praeterea arte gymnasii discipulos instituerent. Ita tu, avuncule carissime, nihil tum tractabas in schola praeter Graecas literas, quibus ipse quondam juvenis a praeclarissimis ejusdem gymnasii doctoribus, Kaltwassero atque Jacobsio, eruditus fueras; Doeringius, avus dilectissimus, superiorum classium discipulos instituebat in lingua latina eosque in eodem quo ipse maxime excellebat loquendi ac scribendi latine artificio diligentissime exercebat, adjutore tum Wuestemanno, qui post non minori cum laude in Doeringii vicem successit; pater carissimus Hebraicam et Anglicam linguam docebat; Schulzius historiam rerum gestarum in omnibus gymnasii classibus tradebat; Ukertus eodem modo versabatur in terræ descriptione, denique quo quisque in genere excellentissimus erat, de eo maxime præcipiebat. Quod cum sapientissime institutum esset plurimumque conferret ad studia et doctorum et discipulorum juvanda, insuper, ne quis præceptorum magnitudine negotiorum obrutus otio careret, singuli singulis hebdomadibus non amplius quaternis denis horis juventutem literis instituere coacti erant neque ipsis inferiorum ordinum doctoribus, qui primum ad munus scholasticum accesserant, gravius onus imponi solebat. Ita factum est, ut gymnasii Gothani doc-

tores universi ac singuli insigni doctrinæ laude florerent ac suo jure *professorum* nomine appellarentur, quod a principibus literarum amantissimis honoris causa iis inditum est. Tantum autem aberat, ut doctrinæ illa laus libris scribendis atque humanitatis studiis parta discipulorum commodis obstaret, ut ex otio literato, quo magistri fruebantur, ipsi discipuli plurimum utilitatis perciperent. Nam fieri non poterat, quin tales bonarum artium magistri, qui in suo quisque genere perfecti atque absoluti essent atque apud omnes omnium terrarum viros doctos magnum nomen haberent, multo magis ad literarum studia juvenum animos accenderent ac multo plus valerent auctoritate sua quam præceptores nimio muneris onere oppressi ac ne ad respirandum quidem, nedum ad doctrinæ studia, quibus ingenium alant et nomen consequantur, satis otii habentes. Licet paucissimæ essent diei horæ, quibus illo tempore gymnasii Gothani discipuli cujusque doctoris institutione utebantur, tanta tamen eorum erat discendi cupiditas, tanta animorum attentio, tanta virorum gravissimorum verecundia, ut majores in omni literarum genere progressus fierent, quam nunc aucto magnopere præceptorum labore otioque interdum nullo iis ad sua studia relicto de multis gymnasiis prædicare licet.

Neque mirum, quod plurimum valebat apud discipulos praeceptorum doctissimorum atque humanissimorum auctoritas, cum cives etiam omnium ordinum viros illos, quos ornamento atque decori esse urbi videbant, in praecipuo honore haberent nec quidquam improbare unquam aut vituperare auderent, quod in juventute docenda et instituenda tali collegio placuisset. Nihil dicam de gratia, quam doctores gymnasii inibant a celsissimis Gothanorum ducibus, qui non solum mensae eos adhibebant atque in consilium saepe vocabant, sed amplissimis etiam præmiis liberaliter afficiebant omnibusque rebus, quæ ad vitæ usum et jucunditatem pertinerent, ornandos putabant. Quæ cum ita essent, profecto juvenibus bonarum artium studiosis nihil jucundius, nihil honoratius, nihil optabilius videri debebat, quam talis vita, qualem illi vivebant, qui, cum officii sui partes diligentissime implerent optimique artium magistri essent, studiis suis simul mirifice delectati politioris humanitatis et laudem et præmium ferebant. Multi igitur atque ii liberalium artium amantissimi juvenes illo tempore, quo tot homines egregii studiis atque amicitia conjuncti doctorum munere in urbe patria fungebantur *), philologiæ se tradendi consilium capiebant ea spe, fore, ut iisdem quibus magistri sui uterentur vitæ atque muneris jucunditatibus. Sed quo major eorum numerus erat, qui hac spe ducti ad antiquarum literarum studia sese applicarent (invenio autem non minus viginti gymnasii Gothani discipulos

*) Nomina eorum continentur, ut tibi notum est, duobus distichis carmini praepositis, quo Doeringius collegarum nomine Chr. Ferd. Schulzio, viro optimo, munus per viginti quinque annos administratum gratulatus est anno 1825:

Kriesius, Ukertus, tum cui dat Regula nomen,
Rostius et Vastans nomine cuncta suo,
Welckerusque, lyrae scitus moderator eburnae,
Cum sene, qui Nostro duxque paterque fuit.

Praeterea Milleneturn et post patris obitum Duebnerum praeceptores habui, qui munere abdicato etiamnunc vivunt.

illo decem annorum spatio, quo ipse disciplinae Gothanae alumnus fui, eo consilio in academiam discessisse), eo minus exspectari poterat, ut omnibus Gotham redire ibique domicilio constituto doctoris munus suscipere liceret. Quare tu, avuncule carissime, mihi auctor et suasor fuisti, ut abjecta spe incerta in patriam urbem revertendi aditus mihi compararem ad munus apud exteros petendum. Neque frustra hoc datum consilium. Kuehneri, popularis mei doctissimi, exemplum secutus commentationem scripsi, qua praemio regio ornata quod optaveram adeptus in Hannoveranorum terram, ubi tum penuria erat muneris scholastici candidatorum, admissus sum. Nihilo minus tamen eo ipso tempore, quo conditio mihi proposita est, ut Hildesiam properarem ibique in docendo mei periculum facerem, prope fuit, ut mutato consilio in patria urbe remanerem, cum Bretschneiderus, vir summa humanitate atque semper erga me benevolentissimus, in spem me adduxisset, occasionem fore, ut doctoris munus in ipso gymnasio Gothano mihi deferretur Quam occasionem si statim nactus essem, cupidissime arripuissem neque decessissem ex patria, quae semper mihi fuit carissima quaque vix ulla alia urbs aut terra plures habet ad literarum studia opportunitates. Nam etiamnunc ibi doctissimi quique in summo honore habentur principumque cura atque liberalitate manent illa vigentque instituta, quae adjumenta semper et subsidia fuerunt doctrinae. Neque te moderatore ac rectore, avuncule carissime, minor est gymnasii fama, quam illo tempore, quo avus rectoris munere functus est, licet omnes illi laudati viri, qui quondam mei magistri fuerunt, non amplius in vivis aut in collegarum tuorum numero sint. Adjutores etiamnunc habes collegas doctissimos artiumque suo quemque in genere peritissimos, atque ipsa Wuestemanni præmatura morte, quam omnes lugent ac moerent homines literati, gravissimum quidem, sed non prorsus insanabile inflictum est gymnasio vulnus, cum sint inter collegas digni tanto tamque erudito præceptore discipuli, qui officii atque amicitiæ vinculis cum egregio viro diu conjuncti vestigiisque eius ingressi iisdem, quibus mortuus, artibus excellunt.

Fortasse ego quoque, si Gothae vixissem, non indignus nunc viderer tantis praeceptoribus neque studia inchoata intermisissem. Quamquam enim multos esse scio, qui iisdem vel majoribus etiam quam ego muneris occupationibus distenti neque temporis angustiis neque infirmitate virium cogantur, ut ea, quibus maxime delectentur, studia abiiciant, mihi tamen hoc denegatum fuit a natura, ut in tanta officiorum multitudine ac varietate et munus magistri explere et assiduam in doctrinae studiis operam ponere possem. Quod non fugit quondam avum, qui literis mihi gratulatus quidem est, quod statim post academiam relictam muneri Hildesiae praepositus essem laudesque et grates habuit viro venerabili, a quo tali praemio affectus essem*), sed veritus tamen, ut vires mihi sufficerent, si uno eodemque tempore et

*) Moris fuisse scis avo, ut quavis occasione oblata versus latinos funderet ex tempore. Ita illi quoque epistolae, quam dedit ad me senex prope octogenarius Gotha a. d. IX. Kal. Dec. a. 1834 paullo post susceptum a me munus Hildesiae et triennio ante quam ipse mortuus est, versus nonnullos, quos subito scripsit sibi succurrisse, inseruit. Quos operae pretium videtur tecum communicare. Primum initio epistolae gratulaturus mihi hunc posuit versum:

Doctrinae studium largissima praemia donat.

scholas plus vicenas singulis hebdomadibus habere et ad literas ut antea incumbere vellem, in optatis sibi esse scripsit, ut in patriam urbem aliquando redire mihi liceret. Ego vero fretus corporis valetudine atque animi vigore non statim spem deponendam putavi, fore, ut idem, quod alios assecutos videbam, etiam mearum virium modum non superaret. Strenue igitur ad negotia, quæ munere meo mihi imponebantur, aggressus id egi, ut victis iis difficultatibus, quas primo maxime tempore et rerum tractandarum varietas et juventutis via atque ratione instituendæ inscitia mihi afferebat, paullatim studia deserta repeterem atque quod rebus gerendis superesset tempus in iis consumerem. Quod aliquot per annos ita a me factum est Hildesiæ, ut, cum a religione officii nunquam declinarem, nullo tamen fessus labore et veterum scriptoribus legendis plurimum temporis tribuerem et cum amicis, quibus communia me studia conjunxerant, sæpissime versarer. Neque quidquam tum ad felicitatem deesse mihi videbatur, quippe qui summam ex studiis illis et ex amicorum doctissimorum familiaritate utilitatem atque voluptatem caperem simulque hac vitæ ratione non minui, sed augeri potius docendi facultatem sentirem. At non diu hac felicitate uti mihi licuit. Nam cum majora ausus animum applicuissem ad Horatii carmina edenda neque dubitassem accipere conditionem propositam, ut intra annum rem susceptam conficerem, id quidem diurnis atque nocturnis laboribus consecutus sum, ut fidem exsolverem pietatisque officio fungerer, quod ab ipso avo injunctum mihi videretur, sed intellexi cum magno meo dolore fractas esse corporis animique vires neque mihi amplius per valetudinem licere et muneri præesse laboriosissimo et studiis meis obsequi quamvis jucundis et fructuosis. Sic accidit mihi, quod avus quondam prævidit. Expertus enim, quid humeri ferre recusarent, id unice ex eo tempore spectavi, ut par essem officii muneribus ab omni parte exsequendis, abstinendumque putavi ab illis studiis, quæ aut tempus liberius aut firmiorem valetudinem desiderarent. Huc accedit, quod ne muneris quidem rationes ita tulerunt, ut ipsa juventutis institutio occasionem mihi obtulerit pristina studia renovandi, sed miro quodam casu factum est, ut Horatium nunquam, ex quo Hildesia discessi, in schola discipulis explicuerim plurimumque operæ ac studii conferre debuerim in eas disciplinas, a quibus antea fui alienissimus. Quare vides, avuncule carissime, non meae culpæ tribuendum esse, quod a via deflexi, viresque potius mihi defuisse quam constantiam.

Jam vero cum gymnasii nostri institutis mihi haec provincia sit demandata, ut ex tanto intervallo ad scribendum animum appellerem specimenque aliquod eruditionis ederem, facile intelligitur ex iis, quae exposui, non potuisse mihi in mentem venire, ut in docta aliqua et laboriosa commentatione desudarem, quae cum pristinis studiis cognationem haberet, neque

Deinde virum, cui plurimum me debere compertum habebat, ita extulit:

Beta strepit, sed Vir *Betae* cognomine clarus
Divinos docto fundit ab ore sonos.

Denique adjecit distichon admodum facetum, quod ex tempore se rescripsisse narravit Salzmanno, cum certior ab eo factus esset, coniugem, cui „Doucenette“ nomen esset, partum feliciter edidisse:

Exsulto tecum, quod sunt, ut scribis, Amice,
Dulcia per *Dulcem* gaudia parta tibi.

consentaneum mihi visum esse, ut rem tragicam Romanorum aut Horatii carmina denuo tractarem, etsi multa sunt in hoc genere, quae quondam data occasione me elaboraturum speravi. Sed unum quod reliquum fuit faciendum duxi, ut quae in promptu essent quaeque ipsa schola mihi suppeditasset in medium proferrem. Itaque materiam sumsi, quam suggessit mihi scripturo tragoediarum Sophoclis interpretatio, qua nulla alia officii pars jucundior mihi est atque magis accepta. Est autem neque novum quiddam neque ingeniose excogitatum neque ex obscuriore aliqua scientia promptum, quod ad illustrandas Sophoclis tragœdias afferre possim, sed pauca sunt levioris momenti, quæ nuper explicanti mihi Oedipum Coloneum fabulam in quæstionem venerunt quæque pro facultate ad liquidum perducere studui. His supplere quodammodo velim egregiam illam epistolam, quam Carolus Schaedel, popularis meus atque idem a puero amicus conjunctissimus, ante quadriennium Gymnasii Stadensis annalibus præmisit ad Frid. Guil. Schneidewinum datam. In qua cum difficiliores quidam loci tanta judicii subtilitate tractati sint, ut vix quidquam reperias, quod non recte ac vere disputatum videatur, intactos tamen reliquit Schaedelius nonnullos locos, in quibus explicandis non minus errasse mihi visus est Schneidewinus quam in ceteris, de quibus contrariam suam sententiam ille aperuit. Liceat igitur duos ex his locis deligere atque quid sentiam de iis tibi, avuncule carissime, proponere. Quod cum facio eodem veri indagandi amore ductus, quo Schaedelius meus cum summa amicitiæ voluntatisque significatione Schneidewini librum mendis purgatum voluit, vehementer opto, ut ne temere contra mortuum disseruisse videar, cujus vivi amicitiam atque benevolentiam semper plurimi feci.

Jam non possum non dissentire a Schneidewino in explicandis iis verbis, quæ leguntur in primo chori cantico v. 155 sqq.:

περᾷς γὰρ, περᾷς· ἀλλ' ἵνα τῷδ' ἐν ἀφθέγκτῳ μὴ προπέσῃς νάπει
ποιάεντι, κάθυδρος οὗ
κρατὴρ μειλιχίων ποτῶν
ῥεύματι συντρέχει,
τῷ, ξένε πάμμορ', εὖ φύλαξαι,
μετάσταθ', ἀπόβαθι.

Quibus in verbis hoc quidem non dubium est, quin chorus deterrere studeat Oedipum, ne longius in lucum furiarum progrediatur; sed qui locus sacri nemoris significetur verbis *κάθυδρος οὗ κρατὴρ μειλιχίων ποτῶν ῥεύματι συντρέχει*, ambigitur. Plerique sequuntur Scholiasten ita verba explicantem: *ποίῳ νάπει; ὅπου κρατὴρ ὕδατος πλήρης συγκιρνᾶται ῥεύματι γλυκέων πότων, ὅ ἐστι μέλιτος· οἷς μειλίσσουσι τὰς θεάς. συγκιρνᾶται γὰρ ταύταις ταῖς θεαῖς ὕδατος καὶ μέλιτος κρᾶμα.* Intelligit igitur Scholiastes interiorem saltus partem, ubi sacra fiebant Eumenidibus, i. e. partem sacerrimam, quo adire Oedipo maxime nefas erat. Contra Ellendtius atque Schneidewinus recedendum putarunt ab hac vulgari loci interpretatione, atque ille quidem propterea, quod nescire se fatetur, quomodo mel, nisi quis præsens affundat, cum aqua coire possit, hic, quod ex ipso versu 495 sqq. sequi arbitratur, crateres illos sacros, in quibus aqua mista fuerit potione mellita, longiore intervallo ab hoc loco collocatos fuisse.

Quare Ellendtius elegantissima putat metaphora vallem esse intelligendam, in quam rivuli aquæ limpidissimæ confluant, nihilque inesse in his verbis judicat nisi loci in interiore nemoris parte siti descriptionem. Schneidewinus vero eandem viam ingressus, cum *humilem* ac *paludosum* locum significari censeat, persuasum habet chorum non solum *religionis caussa* monere, ne in interiorem silvam penetret Oedipus, sed simul vereri, ne cæcus in humido declivique loco *vestigio fallatur* atque ita lædatur; nullam autem rationem eum habere ejus rei, quod Antigona comes ac dux itineris adsit seni, quia maximopere cupiat, ut quam celerrime Oedipum e sacro loco amoveat. Apparet Schneidewinum falsa verbi *προπέσῃς* interpretatione in eam adductum esse opinionem, ut verisimile putaverit, chorum non de sola furiarum ira cogitare, sed sollicitum etiam esse de cæci salute, cui silva paludosa damnum facile afferre possit. Ut omittam, verbis proxime prægressis affirmare chorum, quantum in se sit, *τάςδε ἀρὰς* se non passurum iis malis adiici, quibus jam oppressus sit Oedipus, minime per se probabile est, ullum periculum choro majus videri quam quod scelere admisso a diis metuendum sit. Neque revera talis metus esse poterat, ne in lubrico laberetur senex, cum ipse modo dixisset, Antigonam auxilio sibi adesse gressusque suos sublevare, nisi forte statuimus chorum præ nimia animi cupiditate nihil neque audisse neque vidisse aut simulasse se id non curare, quod, quam vanus et prope ridiculus ejusmodi esset metus, ostendebat. Non est, quod pluribus refutem hanc Schneidewini opinionem, quæ prorsus a loci nostri gravitate abhorret. Sed videamus, num recte tamen *κρατῆρα* Schneidewinus cum Ellendtio intellexerit convallem sive locum depressum, quo aquæ confluant rivuli. Eleganti ait Ellendtius metaphora vocem *κρατὴρ* hanc vim atque potestatem habere; at vereor, ne talis elegantia usui linguæ vehementer repugnet neque ullo veterum exemplo firmetur. Vocabulum *κρατὴρ* enim apud veteres poetas aut suo in loco positum vas significat, in quo aqua et vinum miscentur potatoribus ad bibendum et libandum, ut semper apud Homerum; aut transfertur ita, ut a compotationibus aut libationibus sumta sit similitudo. Sic apud Aeschylum legimus in Agamemn. v. 1319: *τοσῶνδε κρατῆρ' ἐν δόμοις κακῶν ὅδε πλήσας αὐτὸς ἐκπίνει*, ubi Agamemnon vas, quod malis ac pernicie impleverit, ipse ebibisse dicitur. Atque audacius etiam Pindarus Ol. VI. 91. Aeneam quendam vocat *γλυκὺν κρητῆρα ἀοιδᾶν*, quippe qui „carmina modis musicis admiscendis temperet, ut vinum temperatur in cratere.“ Posteriori demum tempore a Græcis Latinisque poetis vox *κρατὴρ* etiam ad alia vasorum genera transfertur et propter similitudinem voragines terræ significat montiumque ardescentium foramina. Sic apud Plin. Ep. V. 6. 23. in fonte dicitur fuisse *crater*, i. e. vas, in quo siphunculi plures miscebant jucundissimum murmur. Apud Ovid. autem Metam. V. v. 424. *crater* est terræ hiatus, quem effecit Pluto iratus contorto sceptro regali. Jam cum ea, quam Ellendtius atque Schneidewinus nostro loco statuunt esse, metaphora ejusmodi sit, ut neque a compotationibus et libationibus simile sit ductum, quæ est veterum poetarum verbi transferendi ratio, neque etiam, ut apud posteriores scriptores, vas quoddam vel terræ hiatus intelligatur, retinenda est vulgaris loci interpretatio, quæ et verbis et nexui sententiarum maxime convenit neque quidquam habet, quod dubitationem afferre possit. Schneidewinus quidem ex versibus 495 sqq. cognovisse sibi visus est, locum illum, ubi crateres ad rem sacram faciendam positi erant, longius remotum fuisse, quam qui a

choro significari potuerit. Sed primum ex versu 505. non sequitur, in *extremo nemoris margine* situm fuisse illum locum, sed potius in ea parte, quæ choro erat opposita; ac deinde nihil refert, utrum in medio an in extremo nemore positi fuerint illi crateres, modo in ipso fuerint nemore, non extra illud. Nam tantus non videtur fuisse luci ambitus, ut Oedipus longius progrediens ad hanc sacerrimam partem venire non potuerit, etsi in extremo fuerit nemore. Senex autem versu 495. propter infirmitatem atque cæcitatem ipse ire illuc libandi ac precandi caussa recusat, non tam itineris longinquitate deterritus, quam quia v. 488. audivit a choro, non necessario sibi ipsi viam illam faciendam esse, sed alium quempiam suam vicem explere posse. Manifestum est autem, cum duobus illis gravissimis malis laboret Oedipus, vel brevissimum iter molestum ei videri Ismenenque mitti, non quo longissime abfuerit ille locus, sed quod præter necessitatem senex nihil sibi negotii suscipiendum putabat. Ellendtio vero nescire se fatenti, quomodo mel, nisi quis præsens affundat, cum aqua coire possit, respondendum est, præsentes cogitari eos ipsos, qui sacra faciant deabus. Poeta enim, qui describit id, quod solet illo loco fieri, misceri cum dicit mel et aquam in cratere, non addit, quod per se patet, certos esse homines, a quibus id fiat. Ita Schillerus noster cum canit:

Dir Phoebus, der das Künftige enthüllt,
Dir, städtegründende Demeter, quillt
Zweijähr'ger Rinder Blut

nemini non perspicuum est, quo praesente id factum cogitemus. Neque dubitavit amicus meus doctissimus Gravenhorstius, qui in convertendis Sophoclis tragoediis hanc sibi scripsit legem, ut non verba, sed vim Græci exprimeret poetæ, sententiam loci nostri simili ratione reddere ita:

Dort, wo mit Honig
Der Quell versüſst
Zur Göttersühnung
In Spenden flieſst.

Accuratius si quis fidus interpres verbum verbo reddere curet, recte et sine ulla verborum obscuritate locum ita convertat: dort, wo der mit Waſser gefüllte Krug sich mischt mit dem Guſs des süſsen Honigtrankes.

Accedo ad locum alterum, cujus difficultatem non recte expedivisse videtur Schneidewinus. Versu enim 857. cum chorus minatus sit, se Creontem vi retenturum ac pignoris loco habiturum pro abductis duabus Oedipi filiis, respondet ille v. 858:

καὶ μεῖζον ἄρα ῥύσιον πόλει τάχα
θήσεις· ἐφάψομαι γὰρ οὐ ταύταιν μόναιν.

In qua Creontis responsione hoc quidem certum est, eum Oedipi quoque abducendi consilium cepisse, sed quid sit *ῥύσιον* et quæ *πόλις* significetur, discrepat inter viros doctos. Ac Schneidewinus quidem Reisigium, Wunderum, Neuium alios secutus *ῥύσιον* pretium intelligit pro raptis puellis Oedipoque persolvendum interpretaturque: „dann wirst du also dem Staate *(Athen)* ein noch gröſseres Lösegeld zufügen.“ Statuit igitur Creontem hoc dicere,

effecturum chorum, ut urbs Athenæ non solum pro abductis puellis, sed etiam pro Oedipo, quem jam abducturus sit, pretium redemtionis solvere debeat. Quæ explicatio ita differt a Reisigii ac Wunderi, ut hi urbem Thebas intelligant verbaque sic interpretentur: majus igitur redemtionis pretium mox *urbi meae solves.* Contra Ellendtius Hermannum ducem secutus *ῥύσιον* censet ipsum Oedipum esse, *πόλιν* autem Thebanorum; *pignus* illum vocari, quod captus ab illis, repetendus et pretio redimendus sit ab his, unde ablatus sit. At neque hæc neque illa explicandi ratio omnino ad veritatem accedit; nam sive *ῥύσιον* ipsum redemtionis esse pretium statuimus sive pignus, quod pretio redimendum sit, apparet, Creontem, cujus tantum intererat, ut Oedipum in suam terram reduceret mortuumque in finibus ejus sepeliret, nullo modo cogitare potuisse de redemtionis pretio, quo soluto Atheniensibus ille reddendus esset. Propius tamen a vero abest hæc posterior, quam Ellendtius sequitur, ratio quam Schneidewini. Recte enim ille vidit, propriam et principalem vocis *ῥύσιον* significationem esse eam, quae invenitur apud Homerum Il. XI. 674, quem locum ita interpretatus est Eustathius: *τὸ ῥύσια δηλοῖ τὰ ἀντί τινων ῥυόμενα ὅ ἐστιν ἑλκόμενα καὶ ἀντὶ τῶν προαρπασθέντων ἁρπαζόμενα, ὥςτε ῥύσια ἐλαύνειν ὁ Νέστωρ λέγει τὸ ἐρυσιάζειν καὶ λαμβάνειν ἀνθαρπάγματα ἤγουν ἐνέχυρα χρέους.* Proprie igitur *ῥύσιον* significat prædam abductam, quæ sit pro pignore, vel pignus ipsum, quo efficiatur, ut res antea rapta reddatur. Atque haec propria vocis significatio ita possit videri in nostrum locum quadrare, ut Creon majori pignore opus esse dicat choro, *quam ipse sit,* ut reddantur non puellæ tantum jam abductæ, sed etiam Oedipus, quem mox abducturus sit. Neque enim inepte Creon choro se pignoris loco pro raptis puellis retinere conanti per ludibrium respondeat, majus etiam quam ipse sit pignus auferendum esse, cum chori minis non deterreatur, quin præter puellas jam Oedipum quoque secum abducat. Quæ quidem loci interpretatio probabilis visa est Brunckio et Gravenhorstio, quorum ille verba ita convertit: facies, ut tuæ civitati (Athenis) mox aliquod majus pignus a me auferendum sit, hic: „nach einem gröſsern Pfand noch sieh dich um“. Neque ego dubitarem hanc interpretationem, quæ accommodatissima est antecedentibus chori verbis *οὔτοι σ᾽ ἀφήσω*, veram judicare et ab omni parte probandam, nisi plura me movissent, ut sententiam mutarem. Primum enim verba *ῥύσιον πόλει τάχα θήσεις* non recte referri posse videntur ad pignus, quod chorus capiat suae urbi consulturus, cum et *τιθέναι* magis conveniat ei, qui pignori aliquid dat, quam qui accipit, neque urbis Athenarum mentio ulla antea facta sit, sed chorus ipse se *τῶνδε ἐστερημένον* dixerit. Deinde Scholiastes *πόλει* interpretatus est *ταῖς Θήβαις.* Denique *ῥύσιον*, quod proprie vidimus significare pignus, „quod occupat aliquis, qui ab altero læsus est, ut hoc pignore restitutionem exigat“, dicitur etiam de pignore, quo capto injuriam aliquis acceptam ulciscitur, atque adeo de ipsa pœna, quam ab eo expetit, ut apud ipsum Sophocl. Philoct. v. 959: *φόνον φόνου δὲ ῥύσιον τίσω τάλας*, „cædis pœnas cæde luam miser“, vel de quavis præda, ut apud Aeschyl. Agam. v. 493. de Helena, quam Paris cum multis opibus abegerat. His perpensis omnibus persuasi mihi, *ῥύσιον*, ut recte cum Hermanno vidit Ellendtius, referendum esse ad Oedipum, *πόλει* ad Thebas, neque tamen *ῥύσιον* pignus significare, quod pretio soluto redimatur, sed pignus, quo ablato acceptæ injuriæ pœna exigatur. Totius autem loci sententia hæc videtur esse: Creon, ut Oedipum recipiat, *ῥύσια ἐλαύνει* duas ejus filias abdu-

cens. Jam cum chorus manus in ipsum intendat mineturque, se eum non dimissurum, quia puellis spoliatus sit, Creon hac injuria illata se non tantum illa ῥύσια abducturum ait, sed statim majus pignus capturum, h. e. majorem prædam abducturum, ut chorus injuriæ illatae pœnas urbi Thebanorum, cujus jussu adest Creon, persolvat. Ita et injuriam ulciscitur Creon et vi abducit Oedipum, a quo ante manus se abstenturum affirmaverat. Vertas igitur locum: „Majus etiam mox pignus praebebis Thebis, ne inulta sit haec accepta injuria. Satis non habeo abduxisse puellas, quibus te spoliatum esse conquereris, sed statim majorem praedam ulciscendi caussa capiam.“

Sed hæc hactenus. Si tibi non displicuisse cognovero, avuncule carissime, quæ ad te conscripsi, maximopere gaudebo atque id, quod volui, assecutus esse mihi videbor. Faxit deus, ut eadem, qua nunc, valetudine utaris ad summam senectutem atque integris et animi et corporis viribus laetissima muneris per quinquaginta annos administrati solemnia celebrare tibi liceat.

Vale atque me ama, existimans, neminem te tui amantiorem habere.

Schulnachrichten.

Von Ostern 1856 bis Ostern 1857.

I. Allgemeiner Bericht.

1. In der Überzeugung, daß zur Förderung wahrer Geistesbildung dem Unterrichtsplane eine größere Einfachheit und, bei der nicht zu beseitigenden Mannichfaltigkeit der Unterrichtsgegenstände, ein starker Mittelpunkt zu geben sei; beabsichtigte der Unterzeichnete, den Anfang des Französischen aus Quinta zu nehmen und für die Realisten mit verstärkter Stundenzahl nach Quarta, für die Studierenden nach Tertia zu legen, das Englische erst in der Real=Tertia anfangen zu lassen und dem Lateinischen eine solche Stundenzahl einzuräumen, daß es den Schwerpunkt des sprachlichen Unterrichts zu bilden im Stande wäre. Da aber noch immer nur wenige der Realisten die Secunda besuchen und die meisten schon aus Tertia ins Geschäftsleben übergehen, so hielt er es doch für rathsamer, den früheren Lehrplan, wenigstens vorläufig, im Wesentlichen beizubehalten. Inzwischen sind der lateinischen Sprache, welche, nach dem Urtheil aller Kundigen, die beste Grundlage der sprachlichen Bildung und der damit verbundenen geistigen Entwickelung bildet und außerdem für die Erlernung der neuern Sprachen von großem praktischen Werthe ist, einige Stunden zugelegt worden. Es ist nur zu wünschen, daß alle Eltern ihre Söhne zu fleißigem Lernen der lateinischen Sprache ernstlich anhalten, damit durch dieses Studium auch wirklich erreicht werde, was dasselbe zur Förderung wahrer Bildung leisten kann.

2. Um den Unterricht über die deutsche Rechtschreibung hat sich das Königliche Ober=Schulcollegium zu Hannover dadurch ein unzweifelhaftes Verdienst erworben, daß es unter seiner Mitwirkung eine „Anleitung zur deutschen Rechtschreibung für die Elementarclassen der höhern Schulen und für Mittel= und Volksschulen“ (Hannover bei Rümpler 1857) hat ausarbeiten und zum Druck befördern lassen, welche ganz dazu geeignet ist, dem bisherigen Schwanken ein Ziel zu setzen und die so wünschenswerthe Übereinstimmung unter den Unterrichtsanstalten des Landes herbeizuführen. Das hiesige Lehrer=Collegium hat sich, mit Rücksicht auf die dadurch zu erlangenden Vortheile, unbedenklich für die Einführung der obigen Anleitung ausgesprochen.

3. Eine Änderung im Lehrerpersonale hat im verflossenen Jahre nicht stattgefunden, jedoch wird mit künftigen Ostern ein Wechsel in den Classenordinariaten eintreten, indem dem Dr. Tepe

das Ordinariat von Quarta, dem Collaborator Schlüter das von Quinta übertragen wird. Der bisherige Ordinarius von Quarta, Oberlehrer Bleske, wird nun den gesammten französischen Unterricht in den drei obern Classen und die lateinischen Lectionen in Realtertia übernehmen.

4. Durch die wohlwollende Fürsorge des Königlichen Ober-Schulcollegii sind unserem Gymnasium im vergangenen Jahre wiederum 240 Rthlr. zugeflossen, von denen den meisten Lehrern eine, wenn auch geringe, doch sehr erwünschte Zulage gemacht werden konnte. Da aber die Theurung aller Lebensbedürfnisse schon mehrere Jahre anhält und zu befürchten ist, daß sie, bei dem offenbar gesunkenen Werthe des Geldes, keine vorübergehende Erscheinung sein werde; so hat das hohe Ministerium der geistlichen und Unterrichts-Angelegenheiten, im Hinblick auf das Misverhältniß des Einkommens der Lehrer zu den Kosten der nothwendigsten Lebensbedürfnisse und auf die daraus hervorgehenden großen Bedrängnisse, sich bewogen gefunden, bei sämmtlichen höhern Lehranstalten des Königreichs eine angemessene Erhöhung des Schulgeldes anzuordnen. Die deshalb zwischen dem Ober-Schulcollegium, dem hiesigen Magistrate und der Schulcommission gepflogenen Verhandlungen haben zu dem Resultate geführt, daß von Ostern d. J. an das Schulgeld in Sexta 10 Rthlr., in Quinta 12 Rthlr., in Quarta 16 Rthlr., in Tertia 20 Rthlr., in Sekunda 25 Rthlr. und in Prima 30 Rthlr. betragen wird. Wir hoffen, daß durch diese Schulgelds-Erhöhung eine Verbesserung der Gehalte ermöglicht werde, welche die Lehrer von drückenden Nahrungssorgen zu befreien und die ihnen zu gedeihlichem Wirken in ihrem Berufe so nothwendige Heiterkeit der Seele zu erhalten vermag.

5. Noch immer melden sich Schüler zur Aufnahme in Sexta, welche das 11te oder gar 12te Lebensjahr zurückgelegt haben, während doch das eigentliche Normaljahr für diese Classe das 8te oder 9te ist. Welche Nachtheile aus diesem verspäteten Eintritt für die betreffenden Schüler und für die ganze Anstalt erwachsen, darüber hat sich der Unterzeichnete schon in den Schulnachrichten des Jahres 1852 ausgesprochen; er begnügt sich daher, hier auf diesen Übelstand nochmals hinzuweisen und die Eltern um dessen Beseitigung, im Interesse ihrer eigenen Söhne, angelegentlich zu bitten.

6. Außer den in manchen Gegenständen angestellten General-Repetitionen, denen der Unterzeichnete, so weit es seine Zeit erlaubte, beiwohnte und deren Ergebniß er in der nächsten Conferenz mit dem Collegium ausführlicher besprach, und außer den öffentlichen Prüfungen zu der gewohnten Zeit, hat die Maturitäts-Prüfung zweimal stattgefunden.

Im Sommersemester meldete sich zu derselben und erhielt das Zeugniß der Reife:

Adolf Meinhard Swartte, Sohn des Kaufmanns J. G. Swartte, geboren zu Emden den 8. October 1836, Schüler des Gymnasiums seit Michaelis 1846, der Prima seit Ostern 1854. Studium: Medicin. Universität: Berlin.

Im Wintersemester meldeten sich zur Prüfung und bestanden dieselbe:

1. **Otto Galama Houtrouw,** Sohn des Predigers Houtrouw zu Gaudersum, geboren daselbst den 16. Juni 1838. Schüler des Gymnasiums seit Michaelis 1850, der Prima seit Ostern 1855. Studium: Theologie. Universität: Göttingen.
2. **Jacob Friedrich Tilemann,** Sohn des verstorbenen Rectors Tilemann zu Emden, geboren daselbst den 13. März 1839. Schüler des Gymnasiums seit Michaelis 1848, der Prima seit Ostern 1855. Studium: Jurisprudenz. Universität: Heidelberg.
3. **Ernst Christian Karl Cruse,** Sohn des Schneidermeisters Cruse zu Esens, geboren zu Esens den 26. Februar 1836, durch Privatunterricht vorgebildet. Studium: Medicin. Universität: Göttingen.

II. Allgemeiner Lehrplan.

Vertheilung der Lehrgegenstände nach Classen und Wochenstunden.

Obligatorischer und in die gewöhnliche Schulzeit fallender Unterricht.	Prima.	Gymn.-Secunda.	Real-Secunda.	Gymn.-Tertia.	Real-Tertia.	Quarta.	Quinta.	Sexta.
Lateinisch	8	8	—	8–9	4	6–8	8	6
Griechisch	6	6	—	6–7	—	—	—	—
Deutsch	2	2		3		4	4	6
Literatur	1	1						
Französisch	2	2	4	2	4	4	4	—
Englisch	2	2	4	—	4	(4)	—	—
Religion	2	2		2		2	2	3
Geschichte	3	2		2		2	2	2
Erdkunde			2	2		2	2	2
Mathematik	3	4	2	3		2	—	—
Rechnen	—	—	2	—	2	3	4	5
Naturgeschichte	—	—	2	2		2	2	2
Physik	2	1	—	—	—	—	—	—
Chemie	—	—	2	—	2			
Schönschreiben	—	—	—	—	—	2	3	4
Summa	30	30	30	31	30	31/33	31	30

Facultativer oder außerhalb der Schulzeit liegender Unterricht.	Prima.	Gymn.-Secunda.	Real-Secunda.	Gymn.-Tertia.	Real-Tertia.	Quarta.	Quinta.	Sexta.
Hebräisch	2	2	—	—	—	—	—	—
Holländisch	1	1	—	1		—	—	—
Singen	1	1	1	1	1	1	1	1
Zeichnen	—	1	1	1	1	1	1	—
Gymnastik	2	2	2	2	2	2	2	2

Bemerkungen: 1. Die unter Secunda und Tertia in der Mitte stehenden Lectionen sind gemeinschaftliche.

2. In der Gymn.-Tertia werden in dem ersten Quartale eines Semesters auf das Griechische 7 Stunden, in dem zweiten auf das Lateinische 9 Stunden verwendet; daher die doppelten Zahlen.

3. In Quarta haben die Studirenden 8 lateinische Stunden, die Realisten 6 lateinische und 4 englische Stunden.

4. Der Strich oberhalb zweier Zahlen bezeichnet die Combination zweier Classen.

5. Bei dem Unterricht in Singen, Zeichnen und Gymnastik bilden die Schüler drei Abtheilungen.

III. Statistische Angaben.

1. Schul-Commission.

Bürgermeister Hantelmann. Senator van Ness. Pastor Hesse sen. Pastor Eilers. Bürgervorsteher W. Brons. Gymnasial-Director Dr. Schweckendieck.

2. Maturitäts-Prüfungs-Commission.

Amtmann Schlüter, Königlicher Commissarius. Bürgermeister Hantelmann. Pastor Eilers. Director Dr. Schweckendieck. Oberlehrer Dr. Prestel. Rector Dr. Regel. Oberlehrer Bleske. Subrector Dr. Metger.

3. Lehrer.

a. Ordentliche Lehrer.

Director Dr. Schweckendieck, Ordinarius der Prima.
Oberlehrer Dr. Prestel, Lehrer der Mathematik und Naturwissenschaften.
Rector Dr. Regel, Ordinarius der Secunda.
Oberlehrer Bleske, Ordinarius der Quarta.
Subrector Dr. Metger, Ordinarius der Tertia.
Collaborator Dr. Tepe, Ordinarius der Quinta.
Collaborator Schlüter
» Dr. Wiarda.
Präceptor Warnke.
Lehrer Wieking, Ordinarius der Sexta.

b. Hülfslehrer.

Musiklehrer Menke.

4. Verhältnisse der Schüler.

Classen:	VI.	V.	IV.	III.	II.	I.	Summa.
Bestand im Januar 1856:							
a. Studirende	18	31	25	17	7	7	
b. Realschüler				10	3		
überhaupt	18	31	25	27	10	7	118
Darunter Auswärtige	7	6	4	8	6	4	35
Im Jahre 1856 sind neu aufgenommen:							
a. Studirende	21	6	5	2	—	1	
b. Realschüler				—			
Im Ganzen	21	6	5	2	—	1	35
Abgegangen im Jahre 1856:							
1. zur Universität	—	—	—	—	—	1	1
2. zur polytechnischen Schule	—	—	—	—	—	—	—
3. zu sonstigen Fachschulen	—	—	—	—	—	—	—
4. zu andern Schulen	—	2	—	1	—	—	3
5. direct ins bürgerliche Leben	1	2	2	7	3	—	15
6. unbestimmt	2	1	2	1	—	—	6
7. durch den Tod	—	—	—	—	—	—	—
Im Ganzen	3	5	4	9	3	1	25
Bestand im December 1856	21	29	30	24	12	12	128
Darunter Auswärtige	5	8	5	9	3	9	39

5. Hülfsmittel des Unterrichts.

1. **Bibliothek.** a. Angeschafft: v. Sybel, die Revol.-Zeit. 2 Bde. Klopp, Geschichte Ostfr. 2. Bd. Gerhard, griech. Mythologie. 2. Bd. Mommsen, Röm. Gesch. 2. und 3. Bd. Grimm, Wörterbuch. II. 4. Duncker, Gesch. des Alterthums. 3. Bd. Schoemann, Griech. Alterthümer. 1r Bd. Lessing (Maltzahn) 10. Bd. Hettner, Gesch. der engl. Lit. Müller, kosmische Physik, nebst Atlas. Ewald, die Alterthümer des Volks Israel. Schiller und Göthe, Briefw. 2Bde. Petermann, geograph. Mittheilungen 1855 u. 56. Gervinus, Gesch. des 19. Jahrhunderts. 2. Bd. Goethe's Briefwechsel mit Zelter. 6 Bde. Kant's Werke. 12 Bde. Schubert, Selbstbiographie. 2. Bd. Becker, Handbuch der Röm. Alterthümer. 4. Bd. Pertz, Stein's Leben. 5. Bd. Lange, Röm. Alterth. 1. Fr. Perthes Leben von Perthes. 3. Bd. Mützell, Zeitschrift für das Gymnasial-Wesen. Jahn, Jahrbücher für Philol. und Pädagogik.

b. Geschenkt: Vom Ober-Schulcollegium Zeitschrift des histor. Vereins für Niedersachsen. — Die Schulprogramme der hannov., preuß., sächsisch., braunschweig. und kurhess. Gymnasien. — Von der Hahnschen Hofbuchhandlung: Leunis, die 3 Naturreiche. 1. Bd. — Von der Schulcommission das Amtsblatt 1856. — Von einem Leseverein: Zarncke's liter. Centralblatt. — Von dem Abiturienten Houtrouw: Herrn von Hoffmannswaldau und anderer Deutschen auserlesene Gedichte 1697. Gedichte des Freiherrn von Canitz 1750. J. P. Uz, 1. Bd. — Von dem Director: Lactantii opera omnia. — Joan. Chrysostomi homiliae VII. — Linnaei systema naturae. — Passow, über Zweck, Anlage und Ergänzung griech. Wörterbücher.

2. Für den **physikalischen Apparat** wurde angeschafft: eine Sammlung mikroskopischer Objekte, Platinblech und Platindraht, Probirgläser, Kochflaschen und andere Chemikalien.

IV. Schulfeierlichkeiten.

1. Öffentliche Prüfung. (Im Gymnasial-Gebäude.)

Montag, den 6. April.

Sexta.
8 — $8\frac{1}{2}$. Biblische Geschichte. Wieking.
$8\frac{1}{2}$ — 9. Deutsch. Wieking.
9 — $9\frac{1}{2}$. Geographie. Wieking.

Quinta.
$9\frac{1}{2}$ — 10. Latein. Tepe.
10 — $10\frac{1}{2}$. Geschichte. Tepe.
$10\frac{1}{2}$ — 11. Französisch. Schlüter.

Quarta.
11 — $11\frac{1}{2}$. Geschichte. Bleske.
$11\frac{1}{2}$ — 12. Französisch. Bleske.
2 — $2\frac{1}{2}$. Geometr. Vorüb. Warnke.

Tertia.
$2\frac{1}{2}$ — $3\frac{1}{4}$ (Hum.) Caesar. Metger.
$3\frac{1}{4}$ — 4. (Real.) Englisch. Wiarda.

Dienstag, den 7. April.

Tertia.
8 — $8\frac{1}{2}$. Geographie. Metger.
$8\frac{1}{2}$ — 9. Naturgeschichte. Prestel.

Secunda.
9 — $9\frac{1}{2}$. Sallust. Regel.
$9\frac{1}{2}$ — 10. Geschichte. Regel.
10 — $10\frac{1}{2}$. Mathematik. Prestel.

Prima.
$10\frac{1}{2}$ — $11\frac{1}{4}$. Demosth. Schweckendieck.
$11\frac{1}{4}$ — 12. Physik. Prestel.

2. Redeübung.

Dienstag, Nachmittags 2 Uhr, in der französischen Kirche.

Die Sextaner: R. Remmers: der Wilde, von Seume.
H. de Vries: das Feuer im Walde, von Hölty.
Die Quintaner: S. Beekmann: des Arnold von Winkelried Opfertod, von Follen.
H. Barth: die vierhundert Pforzheimer, von E. Brauer.
Die Quartaner: J. Rodewyk: die Martinswand, von A. Grün.
E. Schlüter: Arion, von Schlegel.
Die Tertianer: F. Valk: das Siegesfest, von Schiller.
F. Metger: Pierre l'Ermite et les premiers croisés.
Die Secundaner: H. Meyer: Deutschland unter Rudolf II.
G. Höper: Death of Charles I., King of England.
Die Primaner: H. Mansholt: De Demosthenis ingenio et arte.
O. Houtrouw: Die Anhänglichkeit an die Heimat und die Sehnsucht in die Ferne.

3. Entlassung der Abiturienten durch den Director.

4 Gesang

zu Anfang, in der Mitte und am Schlusse der Handlung unter Leitung des Musiklehrers Menke.

Die Prüfung und Aufnahme einheimischer Schüler findet am Mittwoch, den 8. April, die der auswärtigen am Sonnabend, den 18. April, Morgens 11 Uhr im Gymnasial-Gebäude statt. — Der Unterricht für das Sommersemester beginnt Montag, den 20. April, Morgens 8 Uhr.

Dr. **Schweckendieck.**